

cap. *Quod dilectio*, de Consang. et affin., et ibi Panorm., num. 7, et communiter Summistæ, verbo *Privilegium*; potestque inductione ostendi in privilegio, dispensatione, lege pœnali, et similibus, quæ respectu diversorum favorabilia sunt et odiosa. Ratione item patet, quia in hoc nulla ratio repugnantiae ostendi potest; nam relationes quasi oppositæ possunt eidem rei convenire respectu diversorum, ut similitudinis ac dissimilitudinis, æqualis et inæqualis, majoris ac minoris: sed ita comparantur hæc duo; nam favor et odium respectiva sunt, favor enim alicujus est favor, et odium similiter; ergo nihil repugnat eandem dispositionem, respectu diversorum, uni esse favorabilem, alteri odiosam.

10. Dices, verum esse hoc non repugnare, illos tamen duos respectus ita esse inter se connexos, ut unus ex alio sequatur, ideoque non posse secundum unum ampliari legem, quin secundum alium etiam ampliatur, neque e converso secundum unum restringi, quin secundum alium restringatur; et idcirco necessarium esse de tali lege judicare tanquam de favorabili absolute, vel odiosa absolute, ita ut vel nulla ratio odii habeatur propter favorem, vel nulla ratio favoris propter vitandum seu minuendum odium. Exemplum optimum est in lege tributum imponente, quæ odiosa est ei cui tributum imponitur, favorabilis autem ei pro quo imponitur, vel rei propter quam imponitur, nec potest uno respectu augeri, et minui secundum alium; et ideo necessarium est ut alter respectus vincat, secundum quem lex judicetur simpliciter favorabilis, vel simpliciter odiosa.

11. Respondeo concedendo interdum illos duos respectus habere inter se illam connexionem, et tunc argumentum recte procedere, quando favor unius augeri non potest sine damno alterius, neque e converso potest incommodum unius temperari, quin alterius commodum cesset, aut minuatur. Sic in motu physico non potest quis lentius aut velocius accedere ad unum terminum, quin cum eadem proportionem recedat ab opposito, nec potest homo plus donare ex propria pecunia, quin pauperior fiat, etc. Nihilominus tamen non semper est necessaria illa connexio inter favorem et odium: sæpe enim potest fieri vel augeri favor uni sine præjudicio aliorum, et e converso unus potest gravari vel puniri propter commune bonum sine speciali favore aliorum, qui inde resultet. Eademque lex seu regula interdum ampliatur respectu unius ob

favorem, et restringitur in odium alterius ratione boni communis, ut est optimum exemplum in l. *Qui exceptionem*, ff. de Condict. indebiti. Quia potest fieri alicui beneficium sine diminutione bonorum alterius, et e converso. Item favor potest consistere in tempore, vel in modo, vel in honore, aut aliis rebus, quæ non subtrahuntur uni, ut dentur alteri. Denique hoc potest inductione ostendi in privilegiis, in dispensationibus, in pœnis, et aliis similibus.

12. *Favorem aut odium præferenda pensatis circumstantiis materiæ, intentionis, et boni communis maxime.*—Deinde addo, quando lex diversis respectibus est favorabilis et odiosa, non semper favorem odio, aut odium favori esse præferendum, sed prudenter pensanda esse omnia, scilicet, intentionem legislatoris, rationem boni communis, et alias circumstantias materiæ et verborum, ut illud præferatur quod videtur esse gravius et honestati ac justitiæ legis magis consentaneum. Hæc assertio, quatenus media est inter duas sententias allegatas, potest utriusque motivis suaderi, et per se quidem spectata valde probabilis est. Quia favor magis per se intendi potest; odium vero seu gravamen minime, sed propter instantem necessitatem. Et ideo per se loquendo, ac cæteris paribus, favor est præferendus; nihilominus tamen tanta esse potest necessitas imponendi gravamen, ut imponendum sit, vel augendum propter majus bonum. Atque sic sentiunt, qui censent canonem *Si quis suadente*, esse legem favorabilem, et esse extendendum, etiamsi censura extendi consequenter videatur, quia est favor religionis, et requirit illum rigorem, ut stabilis perseveret. Similiter in lege imponente tributum potest esse causa tam pia et necessaria, ut non habeatur ratio odii seu gravaminis, quominus lex simpliciter favorabilis et extendenda sit. E contrario vero lex excludens feminas ab hæreditate, licet intendat favorem masculorum, odiosa simpliciter est, et coarctanda, ut est communis doctrina juristarum, ut videre licet in Tiraq. supradicta Præfat., n. 64, et aliis locis, quæ ipse allegat, quia favor ille privatus est, et non admodum necessarius, neque ad pacem et honestatem morum multum utilis, et ad hunc modum est de aliis judicandum.

13. *In dubio præferendum favorem, et legem ampliandam, quia per se lex intendit favorem.*—Unde tandem assero, ubi res fuerit dubia, quia favor et odium videntur quamdam æqualitatem habere, vel quia ad invicem se habent, sicut excedens et excessum, tunc favorem esse

præferendum, et ad ampliandam legem, esse judicandam simpliciter favorabilem. Ita sumitur ex Gloss. in lib. 2, C. de His qui non pos. ad libert. perven., verb. *Interrogaverit*, ubi etiam Bald. et alii, idem Bald. in l. penult., C. de Pactis, circa finem, ubi etiam Roman. et Alex., lib. 7 Consilior., cons. 197. Et ratio est facilis ex dictis, quia lex per se et quasi sponte sua inducit favorem, odium vero quasi ex accidenti, et coacte ob necessitatem; id autem quod est per se præfertur ei quod est accidentarium, cæteris paribus, ac subinde etiam in dubio. Explicatur hoc amplius, quia odium non intenditur, nisi ut tandem cedat in aliquod commodum, quod vel sit favor, vel ut favor reputetur; favor autem non est propter odium; imo ex genere suo est per se; ergo magis intenditur favor ex suo genere. Nam propter quod unumquodque tale, et illud magis; ergo in dubio, ac cæteris paribus favor præfertur. Et ita facile conciliantur sententiæ adductæ, et solutæ manent omnes rationes dubitandi, et facile potest lector intelligere, et ideo non oportet circa singulas immorari.

14. Ex his resolvitur quod secundo loco supra posui de sufficientia prædictæ partitionis. Posset enim facile dici non oportere, ut omnis lex aut favorabilis sit, aut odiosa. Nam potest aliqua esse mixta secundum diversos respectus, et aliqua forte esse potest neutra, ita ut nec odium contineat, nec favorem, ut videntur esse præcepta morum generaliter proposita propter commune bonum. Melius tamen dicitur divisionem esse adæquatam, quia lex, quæ videtur mixta, ab ea parte denominatur, quæ in ea prævalet: vel si est dubium, aut æqualitas, talis lex censetur absolute favorabilis, ut declaratum est. Quod si lex sit quæ nulli imponit speciale gravamen, nec ita est gravis et onerosa, ut propterea odiosa censeatur, eo ipso quod est justa et propria communi bono, censetur favorabilis, et amplianda intra limites favoris, et ita relinquatur partito sufficiens et adæquata.

15. *Quatuor esse species præcipuas legum odiosarum.*—Tandem, quod ad ultimum punctum attinet, plures numerari solent modi, aut quasi species legum odiosarum: tres autem vel quatuor videntur esse præcipuæ. Videlicet lex pœnalis, lex tributum aut onus imponens, lex irritans factum, quod prohibet directe, vel indirecte seu consequenter, lex exorbitans a jure antiquo, vel a communi jure, aut illi derogans, vel limitans, aut corrigens illud, et a fortiori lex posterior priorem abrogans; et de

his omnibus in præsentī libro dicemus, quatenus peculiare proprietates et effectus habent, quos explicare necesse est. Aliæ vero leges omnes, quæ hujusmodi non sunt, inter favorabiles computantur. Verumtamen ex vi hujus negationis non participant specialem rationem, quæ propria consideratione indigeat: tantum ergo illæ, quæ privilegii rationem habent specialem, indigent consideratione, et ideo de illis dicemus in libro sequenti.

CAPUT III.

UTRUM LEGES PŒNALES OBLIGENT IN CONSCIENTIA AD ACTUS QUOS PROXIME INTENDUNT.

1. Duæ partes in lege pœnali distinguendæ sunt: una est de actu quem intendit fieri aut omitti, alia est de pœna quam imponit contra transgressores talis legis; et quamvis prior pars videri possit exposita tractando de lege humana, civili et canonica, tamen aliquid speciale habere potest in lege pœnali, et ideo prius de illa prioriparte dicemus, postea de posteriori. Circa illam vero partem multa inquiri possunt. Primum, an leges pœnales possint obligare ad culpam: secundum, an de facto obligent: tertium, an possint non obligare ad culpam, sed ad solam pœnam: quartum, an de facto sic obligent. Et hæc duo puncta examinabimus capite sequenti; nunc reliqua examinanda sunt, et difficultas est de legibus imponentibus pœnam temporalem: nam de spiritualibus, ut sunt censuræ, et similes, nulla est dubitatio quin regulariter loquendo culpam supponant, ut ex dictis in l. 4 constat, et in sequentibus magis declaratur.

2. *Posse esse legem pœnalem obligantem in conscientia, sic enim efficacior erit.*—Circa primum ergo, de potestate nulla est controversia, et ideo breviter dicimus non excedere humanam potestatem præcipere aliquid, simul obligando in conscientia, et imponendo pœnam, ac subinde posse ab homine fieri legem obligantem in conscientia, et imponentem pœnam certam transgressoribus, quod etiam de principe sæculari nullus jurisperitorum negavit, ut fatetur Navar. in cap. *Fraternitas*, 12, q. 2, n. 22. Et probatur facile primo, quia talis lex potest esse conveniens reipublicæ; imo experientia ostendit, sæpe esse valde necessariam, et alioqui nullam injustitiam continet; ergo non est cur excedat potestatem humanam; neque ulla ratio probabilis ad hoc afferri potest. Secundo, de legibus imponentibus spiritualement pœnam, excommunicationem, etc., nemo du-

bitat quin obligent in conscientia ad actus præceptos, vel prohibitos, ut in l. 4 diximus, quia spiritualis poena maxime solet imponi propter contumaciam, quæ non est sine inobedientia et culpa, et quia spirituales poenæ sunt medicinales, et præcipue intendunt curationem animæ, et correctionem culpæ; ergo, generatim loquendo, non excedit potestatem humanam obligare in conscientia sub certa etiam poena per legem imposita; ergo nec excedit hoc facultatem legis, seu potestatem civilem, etiam si poenas tantum temporales imponat. Probatur consequentia, quia nulla sufficiens ratio differentie assignari potest, quia utraque potestas, sicut includit vim dirigendi in conscientia, ita etiam utraque includit vim coercendi per poenas proportionatas; et sicut adjectio poenæ spiritualis est moraliter necessaria in legibus ecclesiasticis; ita poena temporalis est moraliter necessaria in civilibus, imo in utrisque legibus. Quia utraque obligatio simul magis cogit quam altera tantum, et sensuales homines efficacius terrentur comminatione temporalium poenarum, licet spirituales graviore sint. Tertio, quia legislator humanus potest sine adjectione poenæ temporalis obligare in conscientia per suas leges; ergo etiam cum illa. Probatur consequentia, quia legislator humanus potest adicere poenam temporalem obligationi legis naturalis, ut poenam mortis propter homicidium, vel furtum gravissimum, et similiter potest per posteriorem legem adicere poenam priori legi humanæ pure morali et obliganti in conscientia, ita ut lex posterior non auferat obligationem prioris, ut late probat Navar. supra, dicens a nemine negari, et esse rem adeo claram ut non egeat probatione; ergo idem potest facere simul per unam legem, quia valde accidentaria est unitas, vel pluralitas legum, neque variare potest rationem justitiæ aut potestatis.

3. *Objectio.—Responsio.*—Sed objici solet, quia videtur excedere justitiæ æquitatem, reatum duplicis poenæ imponere propter unam transgressionem: nam in foro Dei non insurgit duplex tribulatio, propter idem delictum, ut dicitur Nahum 1, ubi Septuaginta legunt: *Non vindicabit bis in idipsum in tribulatione*; ergo multo minus potest id facere legislator humanus; ergo, dum imponit poenam temporalem, non potest imponere æternam, vel aliam alterius vitæ; ergo nec potest obligare in conscientia, quia ad hanc obligationem sequitur reatus poenæ alterius vitæ. Respondetur negando assumptum, et patet inductione, quia

Deus, præcepto imposito Adamo, obligavit illum in conscientia, et sub gravissima culpa, et reatu poenæ æternæ, et nihilominus addidit poenam mortis temporalis, idemque constat in multis præceptis legis veteris, quæ obligabant sub poena mortis, et de illis est generalis regula, quod obligabant in conscientia. Idem fit evidens ex dictis de lege addente poenam excommunicationis, etiamsi supponat reatum poenæ æternæ. Item de lege addente poenam temporalem propter crimen contra legem naturalem, vel contra aliam priorem legem humanam, quia ibi etiam conjunguntur duæ poenæ sine injustitia. Ratio vero est, quia vel peccatum propter suam infinitatem est capax utriusque poenæ, et plurium; vel quia transgressio legis humanæ non solum est offensio Dei, sed etiam principis, et reipublicæ humanæ, et ideo ab utroque juste punitur. Unde etiamsi lex aliqua non imponat specialem poenam, sed sit pure moralis, potest princeps punire temporaliter transgressorem talis legis, quamvis etiam in foro Dei habeat reatum suæ propriæ poenæ; ergo signum est, duplicem illam poenam diversæ rationis, et distincti fori, divini et humani, non excedere meritum talis transgressionis. Nec locus Nahum aliquid facit ad causam, tum quia ibi non agitur de lege, aut ejus poena, sed de quadam promissione Dei respectu populi judæici, quem tunc secundo statuit non punire, non quia juste non potuit, sed quia ex benignitate noluit; tum etiam quia ibi est sermo de duplici tribulatione temporali, licet per figuram ibi significatum fuerit, eos qui ita affliguntur semel in hac vita ut veram poenitentiam agant, non esse passuros secundam vitæ futuræ afflictionem.

4. *Leges humanæ habentes temporales poenas non obligare in conscientia, nisi exprimat contrarium legislator, quod raro contingit, sentit Navar.*—Supposita ergo potestate, de facto, seu de voluntate legislatoris humani superest quæstio. In qua est prima opinio asserens leges humanas, eo ipso quod sanciantur temporalibus poenis, non obligare in conscientia de facto, et juxta præsumptam voluntatem legislatoris, nisi aliud ipsemet exprimat; quod raro fit vel nunquam in legibus civilibus. Hanc opinionem potissimum defendit Navar. supra, et in Sum., c. 23, n. 55; et pro illa refert Mathesilan. not. 78, quem etiam refert et sequitur Decius in cap. *Nam concupiscentiam*, de Constit., lect. 2, n. 7, ubi refert Hostien. et Joan. Andr. in cap. *Relatum*, Ne cleri. vel monach. Tamen hi specialiter loquuntur de quibusdam statutis religio-

sorum, ut Dominicanorum, nec putant id esse generale; unde etiam Mathesilanus eos referens, cum eis tantum videtur sensisse. Idem vero generalius sensit Imola in c. 2 de Majorit. et obedient. et in cap. *Cum contingat*, de Jur. jur. quem refert et sequitur Deci. supra, lect., n. 3. Sed illi loquuntur non tantum de poenaliibus legibus, sed absolute de humanis prohibentibus vel præcipientibus res indifferentes, seu non necessarias ad honestatem ex lege naturæ, quorum opinionem quoad hanc partem improbabilem esse supra ostensum est l. 3 et 4; et Navarr. etiam ab illis in hoc dissentit, quamvis in præsentem eorum auctoritate utatur, referens alios pro illa sententia, qui revera illam non docent. ut Felin. in cap. 1 de Spons., n. 12, et Cajet. de quo jam supra dictum est. Quod vero ad præsens spectat, dictam sententiam docuere prius Jason in l. 2, c. de Jur. emphyt., n. 143; et Ludov. Gom. in c. de Const., in 6, n. 60.

5. *Fundamenta Navarri sunt: primum, quia lex pœnalis est odiosa, et ideo interpretanda benignius quoad fieri possit: hæc autem intelligentia est benignior, et confert multum ad tollendos laqueos, et pericula animarum, et potest sine inconvenienti sustineri. Secundum, quia legislator addens poenam temporalem præsumitur excludere æternam; quia qui ex duobus unum exprimit et aliud tacet, censetur illud excludere, juxta regulam text. in cap. *Nonne*, de Præsumpt. Tertio, quia leges humanæ raro explicant in actu signato obligationem in conscientia, vel certe civiles nunquam hoc declarant: imo infideles principes nunquam de tali poena cogitarunt; ergo non est verisimile illam intendere, maxime quando poenam temporalem exprimunt. Quarto, allegat Navar. consuetudinem, testaturque communi consensu receptum esse ut hæc leges in hoc sensu intelligantur. Tandem, quia aliquæ leges pœnales non obligant in conscientia; ergo nullæ, nam est eadem omnium ratio.*

6. *Contraria sententia verior, et securior.*—Nihilominus contraria sententia verior est et securior. Dicendum est ergo legem, quæ in verbis suis, et modo quo fertur, præceptum continet, etiamsi poenam adiciat, obligare in conscientia, vel sub mortali, vel sub veniali culpa, juxta qualitatem materiæ, et alia signa data in superioribus libris, nisi aliunde constet de expressa mente legislatoris. De hac postrema limitatione dicam in capite sequenti. Illa ergo omissa, assertio est communis theologorum, quam maxime defendunt Castro, lib. 1

de Leg. pœnali, cap. 8, et Soto, l. 1 de Just., quæst. 6, art. 4 et 5, qui allegat D. Thom. 2. 2, quæst. 186, art. 9, ad 1. Tenet etiam Driedo, lib. 2 de Liber. Christ., cap. 1, et l. 3, cap. 3, ad 5; Med., c. de Rest., quæst. 12, alias 13, et quæst. 36, ad 6, et in c. de Pœnit. tract. de Jejun. Idem sentit Henr., quodlib. 3, q. 22. Nam, licet variis distinctionibus utatur, tandem in hac sententia persistit. Tenet etiam Tolet., de Septem peccat. mort., cap. 20; Bart., Medin. 1. 2, quæst. 96, art. 4, dub. 3; quæ est etiam communis canonistarum; tenet Glossa in cap. *Ut animarum*, de Const., in 6, ubi idem sentit Domin., et in cap. *Perpetuo*, eodem tit. Idem habet Felin. in c. *Nam concupiscentiam*, de Constit., n. 1; Sylvest. verb. *Inobedientia*, in fine; et ibi Angel. et Armil., n. 2, et verb. *Lea*, n. 4; Covar. in reg. *Peccatum*, 2 p., § 5, n. 3.

7. *Fundari solet primo hæc opinio, quia lex pœnalis est vera lex; ergo obligat in conscientia. Probatur consequentia, quia vis obligandi in conscientia est de essentia legis, et per hoc solum distinguitur a consilio, ut in superioribus dictum est, et insinuat D. Thomas 1. 2, quæst. 91, art. 4. Hæc vero ratio non convincit, quia non est de essentia legis ut determinate obliget in conscientia ad actum quem præcipue intendit, ut in capite sequenti explicabo. Secundo, fundari solet quia poena dicit essentialiter ordinem ad culpam, nec aliter dici potest justa. Nam, ut dicitur Deut. 25: *Secundum mensuram delicti erit plagarum modus*, et significatur in cap. 1 de Constit., in 6, et in cap. *Non afferamus*, 24, quæst. 1; unde August. 1 Retract., cap. 9: *Omnis poena, si justa est, peccati poena est, et supplicium nominatur*; et ideo culpam et poenam correlativa esse dixit Gerson. tract. de Vita spirit., lect. 1, et insinuat D. Thomas 1. 2, quæst. 87, art. 7; et quæst. 108, art. 8; ergo, cum lex pœnalis juste puniat, supponit culpam in transgressionem ejus. Verumtamen etiam hæc ratio non urget; nam, licet poena in quadam significatione rigorosa dicat ordinem ad culpam, tamen latius sumpta pro quocumque supplicio, vel damno aut incommodo potest juste inferri propter justam causam sine culpa, ut late ostendit Navarr. in dicto cap. *Fraternitas*, num. 10 usque ad 14. Vel etiam dici potest, licet omnis poena sit propter culpam, non tamen semper esse propter culpam contra Deum, sed interdum sufficere culpam quasi civilem et humanam. Sed urgent aliqui, quia, si quis ex ignorantia invincibili contra pœnalem legem*

committat, non fit reus pœnæ, ut infra dicemus; id autem non videtur esse, nisi quia ignorantia excusat culpam; ergo signum est talem pœnam supponere obligationem sub culpa. Respondeo tamen etiam hoc signum non esse sufficiens; nam si ignorantia excusat pœnam (ut supponitur, et infra examinabitur), non est solum quia excusat culpam, sed etiam quia reddit actum involuntarium, qui nec est culpa, nec justa causa pœnæ; maxime ubi pœna non ponitur nisi ad inducendam et quasi cogendam voluntatem ad aliquid, quæ coactio non habet locum ubi voluntaria ratio ignorantia inventur.

8. *Lex continens præceptum obligat in conscientia.* — Unica ergo ratio assertionis est, quia lex continens præceptum obligat in conscientia, ut supra ostensum est; sed talis lex continet præceptum; ergo obligat in conscientia. Consequentia patet, quia major propositio universalis est, et quia adjectio pœnæ non obstat obligationi in conscientia, ut satis ostensum est. Eademque ratione probari potest minor, quia lex illa continet præceptum ex vi verborum, considerata qualitate materiae, et aliis necessariis in superioribus declaratis: ita ut si non adderetur pœna, illa forma præcipiendi, tali modo prolata et in tali materia, esset sufficiens ad inducendum præceptum, et indicandam talem intentionem præcipientis, hæc enim imprimis necessaria est; sed adjectio pœnæ non evacuat hanc vim legis et verborum ejus, nec etiam est signum intentionis non obligandi aut præcipiendi in legislatore, quia non solent adjicere comminationem pœnæ ut suum præceptum destruant, sed ut muniant et quodam modo augeant obligationem, saltem extensive, ut solvendo argumenta Navarri facile constabit.

9. Et hinc confirmari potest assertio exemplo præcepti recitandi horas canonicas; nam habet adjunctam pœnam restitutionis in beneficiariis, et nihilominus obligat in conscientia. Respondent autem aliqui obligationem recitandi in conscientia, esse priorem illa lege pœnali, ex priori præcepto morali, seu consuetudine, quæ non fuit ablata per posteriorem legem pœnalem, juxta doctrinam supra datam. Sed contra hoc instatur ratione supra facta, quia si diversis legibus inducitur hæc duplex obligatio circa idem, cur non etiam eadem? Quia, sicut lex posterior addens pœnam priori obliganti in conscientia, non revocat illam, nec ostendit talem esse intentionem imponentis pœnam; ita adjectio comminationis pœnæ

addita præcepto, non revocat vim ejus, nec indicat talem esse intentionem præcipientis; imo potius solet indicare severitatem præcepti, et majorem voluntatem obligandi. Accedit in dicto exemplo, quod lex recitandi officium Virginis impositum clericis pensionariis sub eadem pœna obligat in conscientia, et tamen non est antiquior illa obligatio, sed per idem præceptum inducta.

10. *Lex taxans pretia obligat in conscientia.* — Denique, leges justæ taxantes pretia rerum, licet ferantur sub comminatione, obligant in conscientia, ut est in Hispania lex taxans pretium tritici; ergo idem erit in quacumque alia lege pœnali. Respondent aliqui non esse eandem rationem, quia, per legem taxantem pretium, fit ut merces non plus valeant, et ideo si carius vendantur, fit contra justitiam, et inde oritur ratio culpæ. Sed contra, quia lex taxans pretium rei, ideo facit ut non plus valeat, quia definit medium justitiæ; sed eodem modo per alias leges constituitur medium virtutis, vel in justitia, vel in religione, vel in aliis, quia hæc est efficacia legis humanæ, ut in superioribus ostensum est, unde consequenter contrarium actum constituit in specie vitii oppositi; ergo obligat etiam in conscientia ad servandum tale medium, vel vitandum tale vitium. Nec videtur posse assignari sufficiens ratio ob quam lex lata in materia justitiæ, censeatur præscribere medium virtutis etiamsi pœnam adjungat, et non idem censendum sit de legibus præcipientibus sub pœna in aliis materiis.

11. *Benigniore interpretationem habere locum ubi res est moraliter dubia.* — Neque in contrarium urgent rationes Navarri. Ad primam enim respondeo, benigniorem interpretationem habere locum ubi res est moraliter dubia, et talem esse debere, ut verba legis non corrumpat. At hic sensus legis non est dubius, quandoquidem supponuntur verba ex se sufficienter significantia præceptum, et sine fundamento recurritur ad intentionem corrumpendo seu enervando verba legis. Ad secundam, dicitur primo, axioma illud, et c. *Nonne*, ibi allegatum, habere locum, quando vel duo, de quibus est sermo, sunt repugnantia, vel quando sunt ad eligendum proposita: tunc enim assumptio unius præsumitur esse exclusio alterius: si autem non sint hujusmodi, non est illa sufficiens conjectura, nisi aliæ adjungantur. At hic obligatio ad culpam et pœnam non repugnant inter se; imo ex se habent quamdam connexionem, et ideo sola adjectio pœnæ

nulla est conjectura excusationis culpæ. Deinde dicitur, in lege, de qua tractamus, sufficienter contineri obligationem ad culpam in verbis præceptivis, et ideo dici non posse eam legem comminari pœnam, prætermissa comminatione culpæ, quia non solet aliter culpæ reatus proponi, nisi præcipiendo.

12. Unde ad tertiam rationem negatur consequentia. Quæ si alicujus esset momenti, probaret etiam leges humanas morales non adjicientes pœnam non obligare in conscientia, quia hoc non expriment in actu signato, et leges principum infidelium non ligare conscientias, etiamsi pœnales non sint, quia tales principes nihil de pœnis alterius vitæ cogitant: utrumque autem absurdum est, ut constat ex l. 3. Igitur, sicut in legibus moralibus sufficit naturalis vis præcepti ad inducendam obligationem conscientia, etiamsi princeps illam non exprimat, imo nec de illa cogitet in actu signato, sed tantum de præcepto imponendo, ita etiam sufficit in legibus pœnalibus. Et patet, quia præceptum morale regis infidelis obligat sub reatu pœnæ vitæ futuræ, etiamsi legislator illam non cognoscat, quia sufficit vis connaturalis præcepti; ergo etiam sufficit in lege pœnali, quæ simul moralis est: nulla enim ratio differentia in his casibus reddi potest. Ad quartum negamus talem consuetudinem, quam doctores communiter non agnoverunt, nec ex communi usu, et sensu fidelium colligitur. De quinta ratione in sequenti capite dicendum est.

CAPUT IV.

AN DENTUR VEL DARI POSSINT LEGES PŒNALES NON OBLIGANTES IN CONSCIENTIA, SED TANTUM SUB PŒNA, SINE INTERVENTU CULPÆ.

1. Partem negantem tenet Sylvester supra, et sequitur Armilla, licet non videatur consequenter loqui, ut explicabo. Citatur pro hac sententia Soto supra; sed, si attente legatur, non negat potestatem, nec in re dissentit a communi sententia, licet in usu verborum discrepare, et sine causa contendere videatur. Citat etiam Sylvester pro hac sententia D. Thomam, et auctores qui indistincte dicunt legem vel præceptum superioris obligare in conscientia. Eidem sententiæ adhærere videtur Bellarm. l. 3 de Laicis, cap. 11, probat. 6. Fundamenta hujus sententiæ tacta sunt in præcedenti quæstione, et fere soluta. Summa est, primo, quia de ratione legis est

obligatio in conscientia; ergo repugnat esse veram legem pœnalem, quin obliget in conscientia. Secundo, quia alias esset injusta, inferens pœnam sine culpa. Tertio, quia alias nulla esset ratio inferendi majorem vel minorem pœnam per tales leges, quia pœna inferitur major vel minor, juxta proportionem ad culpam; sed ubi nulla est culpa, non potest esse major vel minor culpa; ergo nec major vel minor pœna. Quarto, quia nulla potest reddi, cur quædam leges pœnales potius obligent in conscientia quam aliæ, nec declarari facile potest, quo signo aut modo discernendæ sint hujusmodi leges.

2. *Affirmativa pars vera.* — Nihilominus dicendum est primo, dari posse leges cogentes, seu obligantes sub comminatione pœnæ, licet non obligent in conscientia ad actum propter cujus transgressionem obligant ad pœnam. Hanc assertionem ut claram supponit Navarr. supra, eamque tenet Victor., relect. de Potest. civil., n. 20; eam etiam late ostendit Castro, et sequuntur alii antiqui citati, qui distinguunt duplicem legem pœnalem, puram, et mixtam seu compositam, quibus membris additur tertium de lege humana non pœnali, sed pure morali, qualis est illa quæ obligat in conscientia, et pœnam non adjicit. Nec refert quod Navar. ait, etiam ex hac lege non servata incurri reatum pœnæ: nam hoc est semper verum in foro Dei, non vero in foro humano, unde ille reatus non oritur proprie ex lege humana, sed ex natura rei, vel ex divina lege, et ideo illa lex humana merito dicitur moralis pure, id est, non pœnalis, quia ipsa nec taxat pœnam, nec directe imponit illam. Mixta vero dicitur, quæ simul moralis est et pœnalis, et duo præcepta virtute includit, unum, faciendi vel vitandi talem actum; aliud, sustinendi talem pœnam si id non fiat; et de hac intelliguntur omnia dicta in capite præcedenti. Lex autem pure pœnalis dicitur, quæ solum habet unum præceptum quasi hypotheticum sustinendi talem pœnam, vel incommodum, si hoc vel illud fiat, etiamsi de actu substrato tali conditioni præceptum non imponatur. Et quamvis Navar. supra novam dicat esse distinctionem illam, et Sylv. et Armilla illam contemnunt, ut puerilem, verbalem et inutilem, nihilominus nec nova, nec puerilis est, quia illa utuntur graves doctores, non tantum moderni, sed etiam antiqui, ut Henr., Angel., Castro, et alii alii ex allegatis capite præcedenti pro nostra sententia. Nec etiam potest dici inutilis, aut verbalis; nam rem quam